

Patet. Ox. [266]

Εξεδόγη
"αυτὸν κήρυξ
ἡρώδης ἐκείνην ἡμέραν

X 954

1876

DIE XII DECEMBRIS.

IN FESTO

S. SPIRIDIONIS EPISCOPI ET CONFESSORIS
PRINCIPALIS PATRONI INSULAE CORCYRAE

DUPLIX 1. CLASSIS
CUM OCTAVA

In I. et II. Vesperis Antiphonae de Laudibus.
Capitulum. Prov. 19. Eccl. 58.

Beatus vir qui ambulavit in simplicitate; quoniam
in vita sua fecit monstra, et in morte mirabilia ope-
ratus est.

Hymnus. Iste Confessor ut in Communi Confessoris
Pontificis.

V. Erit sepulchrum ejus gloriosum.

R. Et mortuum prophetabit corpus ejus.

Ad Magnificat.

Ant. Sacerdos magnus, et pastor egregius, quasi
vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso sic
ille effulsit in templo Dei. Alleluja.

Oratio.

Deus, qui beatum Spiridionem Confessorem tuum
atque Pontificem innumeris decorasti miraculis: tri-
bue quaesumus, ut ejus nos intercessione muniti, a
cunctis liberemur insidiis. Per Dominum.

Deinde fit comm. Feria occur.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Laudemus Deum nostrum.* In confessione beati Spiridionis Protectoris nostri.

Hymnus.

Devota Christo pectora,
 Præclara si miracula
 Cœlique dona quæritis,
 Nostrum vocate Præsulem.
 Hic charitate fervidus
 Vanâ sophum scientiâ
 Superbientem protinus
 Ad veritatem pertrahit.
 Hic integrum Constantio,
 Quem morbus acer alligat
 Donum salutis, iugiter
 Christum precatus, impetrat.
 Ut innocentem barbaræ
 Mortis periculis eximat,
 Aquis iter negantibus,
 Quo retro cedant, imperat.
 Oves modeste pascere
 Subinde non abhorruit,
 Furesque vinetos cœlitus
 Abire mîlisannuit.
 Ipsi silente mortui
 Jussi sepulchro proloqui
 Illum favente numine,
 Arcana rursus edocent.
 Summo Parenti gloria
 Ejusque soli Filio
 Sanctoque sit Paraclito
 Per omne semper sæculum. Amen.

IN 1. NOCTURNO.

Ant. Consideravi servum meum quod sit homo simplex et rectus ac timens Deum.

Psalmi ut in Com. Conf. Pont.

Ant. Obedivit per omnia non quasi hominibus placens, sed in simplicitate cordis serviens Deo.

Ant. Comperto quod homo esset sine literis et idiota, ejus doctrinam ac prudentiam cuncti admirantur.

V. Sic in sancto apparuisti nobis, Domine.

R. Ut videremus virtutem tuam.

De libro Ecclesiastici.

Lectio I.

Cap. 45.

Dilectus Deo et hominibus, cujus memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria sanctorum, et magnificavit eum in timore inimicorum, et in verbis suis monstra placavit. Glorificavit illum in conspectu regum, et jussit illi coram populo suo, et ostendit illi gloriam suam. In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne. Statuit ei testamentum æternum, et dedit illi sacerdotium gentis, et beatificavit illum in gloria.

R. In medio Concilio contra philosophum argutis cavillationibus in veritatem insanientem insurgens perdidit sapientiam sapientium.* Præ-

dicando Verbum Dei consubstantiale Aeterno Patri.

V. Dei sapientia, quam non cognovit mundus, confudit sapientem. Praedicando.

Lectio II.

Cap. 15.

Qui timet Deum, faciet bona; et qui continens est justitiæ apprehendet illam; et obviabit illi quasi mater honorificata. Cibabit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum; et firmabitur in illo, et non flectetur; et continebit illum, et non confundetur; et exaltabit illum apud proximos suos. Et in medio Ecclesiæ aperiet os ejus, et adimplebit illum spiritu sapientiæ et intellectus, et stola gloriæ vestiet illum. Jucunditatem et exultationem thesaurizabit super illum, et nomine æterno hæreditabit illum.

R. Infirmanti Constantio Angelus Domini per somnium in Choro Episcoporum Præsulem ostendit: * A quo ipse erat sanitati restituendus.

V. Spiridionem vero cum conspexisset Imperator statim cognovit illum esse A quo etc.

Lectio III.

Cap. 2.

De Epistola prima B. Pauli Apostoli ad Corinthios.

Ego, cum venissem ad vos, fratres, non veni in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuncians vobis testimonium Christi. Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc cruci-

fixum. Et sermo meus, et prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis: Ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram.

R. Qui filiam Irenem de sepulchro vocavit ut sibi creditum thesaurum patefaceret, : * Ipse nos evangelicum thesaurum in agro absconditum faciat reperire.

V. Qui a Deo electus est pascere hæreditatem suam in justitia et innocentia cordis, atque in ostensione virtutis: Ipse nos. Gloria Patri. Ipse nos.

IN II. NOCTURNO.

Ant. In bonitate et alacritate animæ suæ placuit Deo; ideo statuit illi testamentum pacis.

Ant. Confiteor tibi Pater, Domine cæli et terræ quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis.

Ant. Quæ stulta sunt mundi elegit Deus ut confundat sapientes et infirma mundi ut confundat fortia.

V. Corona aurea super caput ejus

R. Expressa signo sanctitatis, gloriæ et honoris.

Lectio IV.

Spiridion Tremithuntis urbis Cypri Episcopus, natus fuit ex iis Confessoribus, qui Maximiano Impe-



ratore, dextero oculo eruto, et sinistro poplite succiso, ad metalla relegati sunt. Hic Constantino Imperatore, Nicæno Concilio cum interesset, philosophum ethnicum, Christianæ religioni insultantem, miro prorsus modo devicit, et ad fidem perduxit. Sardicensium Patrum consessum sua quoque præsentia, ut beatus Athanasius testatur, ornavit. Triphyl-
 lium Ledrensem Episcopum, virum omnium suæ ætatis eloquentissimum in Synodo orantem, quod simplici divinæ Scripturæ voce uti dedignatus esset, palam reprehendit. Interea beatus Spiridion Ecclesiam sibi commissam cum sanctissime regeret, non prophetiæ dono solum, sed miraculorum etiam virtute clarus extitit: nam charitate fervens, ut innocentem capite damnatum liberaret, viam agebat et torrente valde exundante impediabatur; at imperio Spiridionis stetit torrens, et sibi aliisque viatoribus paravit via.

R. Duo miracula simul operatus est; cum filium extinctum vivum tradidit matri suæ dicens: *
 En vivit filius tuus.

V. Et rursus matrem præ nimia lætitia defunctam tradidit vivam orphano filio dicens: En vivit mater tua. En vivit.

Lectio V.

Quadam nocte cum ad caulas ovium fures venissent (factus enim Episcopus, propter singularem animi modestiam oves etiam pavit), et manus improbas, quo aditum educendis ovibus facerent, extendissent, invisibilibus quibusdam vinculis restricti,

usque ad lucem velut traditi tortoribus permanserunt. Cum vero oves ducturus ad pascua matutinus se ageret senior, videt juvenes absque humanis vinculis in caulis pendere districtos. Cumque causam noxæ comperisset, absolvit sermone, quos meritis vinxerat: et ne eis inanis nocturna cederet occupatio: Tollite, inquit, o juvenes, unum vobis arietem, ne sine causa venisse videamini, quem melius prece, quam furto quæsiisse convenerat. Antiochiam jussu Constantii Imperatoris profectus, eundem morbo laborantem solo tactu sanavit: ubi cum quidam aulicus illius sacræ maxillæ incussisset colaphum, promptus ad Dominicam legem implendam illi præbuit et alteram.

R. Tulerunt Philistiim arcam et statuerunt eam juxta Dagon. Cumque venissent diluculo altera die, ante arcam Domini: * Ecce idolum jacebat pronum in terra confractum.

V. Ita cum pervenisset Spiridion Alexandriam, et ad portam majorem civitatis accessisset. Ecce idolum.

Lectio VI.

Filiam habuit sanctus Episcopus Irenem nomine (duxerat enim ipse, dum laicus esset, uxorem, cum qua paucos annos honeste traduxit) quæ ei cum bene ministrasset, virgo defuncta est. Post ejus obitum venit quidam dicens, se ei quoddam depositum commendasse. Rem gestam ignoraverat pater. Perquisitum in tota domo nusquam, quod poscebatur, inventum est. Persistebat tamen ille, qui commendaverat,

et fletu ac lacrymis perurgebat: vitæ suæ quoque illaturum se esse exitium, nisi commendata reciperet, testabatur. Permotus lacrymis ejus senex, ad sepulchrum filia properat, atque eam ex nomine clamitat. Tum illa de sepulchro: Quid vis (ait) pater? Commendatum, inquit, illius ubi posuisti? At illa locum designans: Illic (ait) invenies defossum. Regressus domum, rem sicut filia de sepulchro responderat, repertam tradidit reposcenti. His aliisque rebus divinitus gestis, clarus prudentia pariter et christiana simplicitate, singularique erga peregrinos et pauperes pietate admirandus, cum Ecclesiam Tremithuntinam mirifice gubernasset, plenus dierum obdormivit in Domino. Ejus corpus, ad quod multa miracula facta leguntur, longo post tempore ex loco, ubi primum sepulturae traditum fuerat, Corcyram delatum, pia fidelium veneratione colitur. Celebratur beati Spiridionis dies festus apud Græcos pridie Idus Decembris.

R. Percussit aquas quæ divisæ sunt in utramque partem et transivit per siccum: Ut innocentem a morte liberaret.

V. Aqua vidit et fugit, flumen reversum est retrorsum, dum Spiridion charitate accensus properabat. Ut innocentem. Gloria Patri. Ut innocentem.

IN III. NOCTURNO.

Ant. In mysterio Trinitatis locutus est Dei sapientiam quam prædestinavit Deus in gloriam suam.

Ant. Gloria ejus hæc est quod in simplicitate cordis conversatus est in hoc mundo.

Ant. Semen sanctorum et gloria eorum non de-

relinquetur: corpora ipsorum in pace sepulta sunt.

V. Mirificavit Dominus sanctum suum.

R. Et exaudivit eum clamantem ad se.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam, *Cap. 10.*

Lectio VII.

In illo tempore dixit Jesus: Confiteor tibi Pater, Domine cæli et terræ, quod abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia S. Maximi Episcopi

Serm. 42. de Pasch. solemn. 14.

Redemptionis nostræ mysterium, fratres carissimi, quod de cælo veniens salutem nostram operatur in terris, tanta se majestate, tantaque dignatione circumfert, ut virtus ejus et veritas occulta sit perfidis, manifesta credentibus. Ut enim quod est sanctum fidelibus innotescit; ita rem fidei videre non potest perfidia. In examinandis namque cælestibus rebus omnis sapientia infatuatus humana, atque omne cor mortale torpescit, ut ait gloriosissimus doctor Paulus Apostolus: sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum.

R. Clausum fuit cælum, increvit fames cui dira pestilentia successit super populum Dei: * Sed Spiridionis precibus lenita est iracundia Domini.

V. Quoniam non crediderunt Domino in omnibus



signis quæ fecit coram eis, percussit eos pestilentia atque consumpsit. Sed Spiridionis.

Lectio VIII.

Ipse etiam Dominus ac Salvator noster mundi huius sapientiam reprobans dicebat: gratias tibi ago, Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Discite itaque per hæc, fratres, sacramenta vitæ nostræ non philosophicis adsequenda doctrinis, sed parvulorum simplicitate credenda, quia profundo illo Dei nostri magnoque iudicio, quod sapientibus conditur, parvulo revelatur.

R. De hostili incursione nos liberavit, qui olim de flagello pestis eripuerat: * Qui cæco lumen oculorum donavit, obcæcatos barbaros idem repulit: qui defunctam revocavit ad vitam, ipse Saracenos quasi mortuos projecit.

V. Dignum est ergo hymnis extollere Corcyræ insignem Protectorem. Qui cæco. Gloria. Qui cæco.

Lectio IX.

Parvulus enim dicitur, non cui ætas sit imperfecta, sed qui mysteriis nescit contraire divinis. Et recte parvulus nuncupatur, qui voluntati Dei sui non parat argumenta, sed fidem. Absconditur ergo sapienti, ne manifesta videat, quod superbe et imprudenter elatus, plus se sapere, quam Deum posse, contendit. Et ideo quæstiones sæcularis sapientiæ refutantes teneamus fidem, quæ parvulis revelatur.

Te Deum.



contraire?

Ad Laudes et per Horas.

Ant. Gloriosus Deus in Sanctis suis: mirabilis in majestate, faciens prodigia.

Ant. Tulit Spiridion puerum, et tradidit matri suæ et ait illi: En vivit filius tuus.

Ant. Aquæ divisæ sunt in utramque partem, et transivit per siccum.

Ant. Protegam civitatem istam, ut salvem eam propter me, et propter servum meum.

Ant. Audivi orationem tuam, Imperator, et vidi lacrymas tuas: et ecce sanavi te.

Capitulum

Prov. 10. Eccl. 58.

Beatus vir qui ambulavit in simplicitate: quoniam in vita sua fecit monstra, et in morte mirabilia operatus est.

Hymnus.

Festis ubique plausibus,
Festoque ad astra carmine,
Coreyra, tolle gloriam
Spiridionis incliti.
Hic sancto amore percitus
Minas retundit impias,
Lætoque fortis pectore
Tormenta dira sustinet.
Ictuque cæsus invido
Genas libenter exhibet,

Sævisque lenis hostibus
 Flammata corda temperat.
 Turbas benignus indigas
 Verbo manūque sublevat,
 Pallenti in ore pauperum
 Christum vel ipsum perspicit.
 Hujus caducam corporis
 Hinc rite vitam deferens
 Ad pura cæli gaudia
 Tandem beatus evolat.
 Decus Parenti debitum
 Ejusque soli Filio
 Sanctoque sit Paraclito
 Per omne semper sæculum. Amen.

V. Patres nostri intellexerunt mirabilia tua:
 R. Memores fuerunt misericordiæ tuæ.

Ad Benedictus.

Ant. O vir ineffabilis, et Pontifex gloriose per quem
 nobis tanta miracula coruscant, cujus beata anima
 paradisum possidet, esto memor nostri, et deprecare
 pro nobis Filium Dei, æterno Patri consubstantialem.
 Alleluja.

Oremus ut supra.

Ad Tertiam

Capitulum ut ad Laudes.

Ad Sextam.

Capitulum Eccl. 46.

Invocavit Dominum omnipotentem in oppugnando
 hostes circumstantes undique, et audivit illum magnus
 et sanctus Deus.

Ad Nonam.

Capitulum.

Cognovit justitiam et fecit mirabilia magna: contempsit
 vitam mundi, et pervenit ad cœlestia regna.

*Per octavam omnia ut in die festo, præter Lectiones
 quæ assignantur in Octavario.*

Etsi in Archidiocesi Coreyrensi Festum Sancti Spiridionis Episcopi
 Confessoris sub ritu duplici primæ Classis et cum integra Octava ex
 speciali concessione celebretur, etsi ejus Festum occurrat die XII Decembris:
 tamen in ejus officio præter Lectiones historicas omnia de communi
 recitantur. Quum autem hoc graviter admodum perferret Coreyrensi-
 um pietas erga tam inclytum suum Patronum Rmus D. Spiridion
 Maddalena hodiernus Archiepiscopus sui muneris esse duxit officium
 integre proprium in prædicti sancti honorem concinnare, illudque Sanctissimo
 Domino Nostro Pio Papæ IX exhibuit supplicibus additis vo-

tis ut illud suprema Auctoritate sua approbare ac Clero Coreyrensi loco officii huc usque adhibiti concedere dignaretur. Sanctitas porro Sua referente infrascripto Substituto Secretariæ Sacrorum Rituum Congregationis supradictum officium ab eadem Sacra Congregatione revisum et correctum modo quo superiori in Exemplari prostat suprema Auctoritate sua approbavit illudque recitandum concessit Clero Coreyrensi non solum in die Festo sed etiam per integram octavam dummodo tamen constet de Apostolica venia Festum ipsum celebrandi cum integra Octava non obstante præscriptione Rubricæ. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 7 Septembris 1876.

C. Episcopus Ostien. et Veltorn. Card. Patriæ S. R. C. Præfectus.

(L. S.)

Pro R. P. D. Placido Ralli Secretario
Josephus Ciccolini Substitutus.

